



De pueris instituendis ecclesiae Argentinensis Isagoge.

<https://hdl.handle.net/1874/423853>

113

DE PVERIS

INSTITVENDIS ECCLE=

siæ Argentinensis

Isagoge.

DE PVERIS

DE PVERIS

DE PVERIS

DE PVERIS



DE PVERIS

INSTITVENDIS ECCLESIAE

Argentinenſis Iſagoge.

Colloquuntur Parens uel Præceptor & Filius.

PARENS.



Christianum te ne fateris pu
er chariſſime? F. Fa-
teor equidem. P. Vnde ue-
ro iſi huc habes exploratum? F.
Eo quod ex Dei præce-
ptis me agnoſco peccatorẽ.
Contra uero ex promiſſione
bus diuinis, idq; merito Chri-

ſti, nihil addubito me in numerum filiorum Dei coopta-
tum. Chriſtus enim pro peccatis meis expiandis mortem
ſubiit. P. In quo ſita eſt Chriſtiani uita? F. In fide una er-
ga Deum, erga uero proximum in charitate ſimulandi ne-
ſcia. P. Quid eſt fides? F. Eſt uera atq; adeo uiua animi
perſuaſio, qua nihil dubitamus, promiſſiones dei per Chri-
ſtum nobis præſtitas. Quemadmodum in ſymbolo, quod

A

Apoſto-

INSTITVEND. PVER:

Apostolorum uocant, dilucide explicatum est. F. Recense
 queſo ſymbolum iſtud. P. Credo in Deum patrem omni-
 tentem, factorem cæli & terræ. Et in Ieſum Chriſtum fili-
 um eius unigenitum Dominum noſtrum. Qui conceptus
 eſt de ſpiritu ſancto, natus ex Maria uirgine. Paſſus ſub
 Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus. Deſcen-
 ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis, aſcendit ad cæ-
 los, ſedet ad dextram Dei patris omnipotentis. Inde uentu-
 rus eſt iudicare uiuos & mortuos. Credo in ſpiritum ſan-
 ctum, ſanctam Eccleſiam catholicam, communionem ſan-
 ctorum, remiſſionem peccatorum. Carnis reſurrectio-
 nem, & uitam æternam Amen. F. Probe omnia recenſu-
 iſti. Reliquum eſt ut quo pacto intelligas referre non gra-
 ueris Dic igitur principio. Quid eſt Deus? P. Iſ eſt meus
 atq; adeo omnium credentium pater omnipotens creator
 cæli & terræ. F. Ecur Deum appellas tuum patrem? P.
 Quia bonitatem ipſius & gratiam ceriò noui. Ex corde
 quoque agnoſco quicquid boni habeo, hūc unum mihi elar-
 gitum, neq; porrò quicquam aliud in æternum à Deo mihi
 datum iri niſi quod bonum ſit, in bonū me mihi cedat. F.
 Age uero cur omnipotentem uocas, ac cæli & terræ cre-
 atorem? P. Non temere huiusmodi titulo ipſum dignamur.
 Ex quo enim omnipotēs eſt ſolusq; agit omnia, partim idq;
 frequentius, per creaturas, partim uero circa creatura-
 rum adminiculum, tantū abeſt, ut mali quid mihi accidat,
 ut potius omnia aduerſa, tentationesq; omnes bono mihi
 ſint ceſſura. Qui enim non omnia mihi commodarēt,
 quando à patre mei amantiſſimo in meam ſalutem attem-

perantur omnia. F. Probe quidem & sancte respondisti. Proinde si parentes, Ludimagistri aut quispiam alius te obiurgat, meliorumq; admoneat, Deum id facere memento. In hoc enim Dei & ministri & uicarij sunt, ut te Christiane erudiant. Eorum igitur dicto audientem te atq; morigerū esse par est. P. Strenue factum curabo. F. Est ne præterea aliud quidpiam, cuius hæc te uerba submoneant. P. Etiam. Deum quippe hinc doceor nusquam nõ præsentem esse, ut qui cordium etiam cogitationes intueatur. Quod sanè diligenter animaduersum, timori dei seminarium præbet, adeo ut pudore totus suffundar, si quid uel in mentem incidat, quod Christianum haud quaquam addeceat. Libet adhæc atque adeo uoluptati est tum animo uersari tum facere etiã quæ Deo placent. Certus enim sum Deum te stem spectatoremq; esse omnium quæ facio, atque eidem uehementer adlubescere si officium meum fecero. F. Pudor hic male agendi, honestiq; amor custodes tibi sunt, à sceleribus te retrahant, ad optima quæque item te pelliciant indefesse. Proinde si onni momento cogitaueris nihil, quamlibet occultum sit Dei oculos latere, cautius uitam tuam quotidie perges instituire, ne aliò rapiaris, quàm Christianum deceat. Vnde uero nosti omnipotentia Dei? P. Persentisco eam in corde, ac quotidiana experientia certissime deprehendo. Omnia siquidem momentanea uideo & fluxa esse, multaq; fieri singulis propè momentis, quorum cause prorsus ignorantur. Neque uero non huius rei & scriptura testimonium suppetit. Genesis enim pri-

INSTITVEND. PVER.

mo ait Mose: In principio creauit D E V Scelum & terram. Et Ioannis primo: In principio erat uerbum & uerbum erat apud Deum &c. Et per quem omnia facta sunt. P. Quare de te solo ais: Credo, perinde atque nihil solicius sis de fide aliorum cum tamen & alios fide præditos credamus. E. Eo quod in nullum alium fidaciæ quicquam colloco, à nemine alio pendeo, certissimus iustum sua fide uiuere. Quod ubi mecum reputo, ex corde proficeor me credere. P. Age si iustus ex fide uiuit, eademq; beatus est, quid porrò tibi (beatitudine iam per fidem parta) Christo opus erit? Abunde enim satis est, si in patrem omnipotentem credideris, factorem cæli & terræ. F. Omnibus modis Christo mihi opus est, quo si caruero, ut & Deo caream necesse est. Quemadmodum de Gentibus idem ad Ephesios secundo scribitur. Neque enim Deum uere quis credere potest, nisi per unum Christum. P. Vnde uero huius tibi constat ratio? F. Non inficior quidem sine Christo Deum cognosci posse. Rom. 2. at uero non cognoscetur contra hunc tanquam pater, sed ut aut iudex atrocissimus, aut qui nostra hæc mortalia nequaquam curet. P. Pinguis hæc mihi enarres obsecro. Nondum enim adsequor, quid uelis. F. Haud ignoro Deum præ omnibus esse diligendum, proximum uero perinde ac meipsum. Matthæi uigesimo secundo. Caritas enim ex corde puro, conscientia bona ac fide non simulata finis est legis. 1. Thim. primo. P. Nihil igitur moraris præcepta D E I. F. Quin uehementer ea mihi curæ sunt. CHRISTVS enim non uenit ad legem

ad legem destruendam. Neque lex uetus abolita est, sed potius nouo quodam modo renouata, ut iam noua lex uocetur, cum tamen ipsissima lex uetus existat. In hoc tantum à ueteri diuidens, quod illa annexos habuit ritus quosdam externos uariasq; ceremonias, hæc uero minime ceremonijs huiusmodi adligata, in corde duntaxat regnum suum regnat. Quod sanè ubi renouatum est, suum iam noua lex pensum absoluit. Nihil igitur elementa mundi iuris habent, nisi quatenus fides, charitasue exigat quicquam. Si etenim hæc duæ quid iusserint, iam non eò paremus, quod legis litera idem mandat, sed potius ultro ad officium adigimur, spiritu ita nos impellente. In summa itaque noua lex atque adeo uetus ipsa unico uerbo quid exigant, non obsecure nobis ob oculos ponit. Nempe isto: Dilige proximum sicut teipsum. Et qui proximum diligit, legem impleuit. Iam uero ut intelligas **C H R I S T** O uehementer mihi opus esse, neque citra ipsum ad **D E V M** cuiquam patere uiam, sic accipe. Et si etenim haud illibenter iuxta legis summam atque adeo finem, **D E V M** proximumue diligere cupiam, nequaquam tamen hoc in manu mea situm experior, carne perpetuo mihi negocium facessente. Proinde tatum abest ut beatum me gloriari ausim, ut potius modis omnibus maledictum me sentiam. Maledictus enim omnis qui non confirmat uerba legis huius, ut faciat ea. 5. Mos. 27. Cæterum ubi Christum morte sua mea expiasse peccata, iam in corde firma fide sentio, certus bonitatis diuinae per Christum mihi exhibitæ, salua iam sunt omnia.

INSTITVEND. PVER.

Quis enim intentabit crimina aduersus electos Dei? Patet igitur, absq; Christo me Deo neutiquam credere posse. Nemo equidem ignorat legem cū præceptis suis iram tantum operari. Rom. 3. Sed ecce tibi Christus adest, is intercedit pro me, maledictū pro me factus, ut ego benedictione atq; adeo bonorum omnium potirer. O egregiam atq; modis omnibus optabilem permutationem. Iam uero ubi cognoscitur incomparabilis hæc Dei bonitas, dimanat indidem fiducia in Deum inconcussa. Nihil enim hæsito Christum meam esse redemptionem ac sanctificationem. Hinc & subsequenter dico.

Et in IESVM Christum filium
eius unigenitum.

Verba hæc prioribus annectit copula, Et, adeo ut non aliter præcedentibus adhæreant, atq; plurima membra in unum corpus coagmētata. Nequaquam igitur hæc ab illis diuellenda sunt, sed simul eadē fide credēda. F. Age uero quando fides hæc sola beat, obtinesq; iam, quod uotis tuis ambiisti, hoc est, beatitudinē ipsam, nihil scilicet tibi opus erit bonis operibus? P. Quatenus mihi opus sit præceptis, antea dictum est. Satis præterea patet, quod cuiuscunq; fides data est, eidem & unā dari spiritum ultroneum pro pagandæ gloriæ Dei, tam in se quā in alijs. Ea uero tum illustrior fit, quum proximo id sum, quod mihi est Deus, hoc est, benignus, mansuetus, misericors. Hoc enim pacto ueram Dei in nos imaginem exprimimus. Mea igitur refert, atq; adeo cogor proximo meo benefacere. Nequaquā
tamen

tamen proximo ad comparandam beatitudinem indigeo. Antea enim quam ipsi ex corde benefacere queam, beatitudo hæc ex mera gratia mihi est donata. F. Quæ tu ais bona opera? P. Fidem solam per Christum in Deum patrem. Ioan. 6. In externis uero charitatem erga proximum. F. Legere uere & canere in templis nunquid & bonis operibus accenses? P. Nequaquam. Sine enim fide huiusmodi fiunt. Neq; Deus uspiam hanc legendi canendi ueracitatem uerbo suo instituit. Scis aut religionem, qualis qualis illa sit, quæ iniussu uerbi Dei suscipitur, Deo esse abominandam. Ad hæc nemo uel teruncio melior hinc redditur. Iam uero nulla res externa bona dici potest, si non usui sit proximo, adq; adificationem faciat. Deus enim spiritu tantum & in ueritate adoratur. F. Stigitur probe tuam assequor sententiam, hoc dicere mihi uideris. Operibus proximo solum inseruiendum. In huius enim usum omnia charitas dispensat. P. Ita res habet. Sed & hinc disco, Confessionem auricularem, indulgentias, peregrinationes, ciborum dierum uic delectum, missas atq; adeo quicquid Ecclesia externa hæcenus obseruauit uana esse. Quemadmodum enim præter Dei uerbum isthæc introducta sunt, ita etiam ad proximos nihil hinc commodi redijt. Sed contra magnis impensis, nihil agitur, quibus sanè pauperibus commode subueniri poterat. F. Vera hæc esse nemo ambigit. Quare ad alia quæ sequuntur explananda, te accingito. P. Non abs re IESVS nuncupatur redemptor noster. Ipse enim saluū facit populū suum à peccatis suis.

INSTITVEND. PVER.

Matth. 1. Christus uero unctum significat. A patre enim præ alijs unctus est & sanctificatus. in eoq; habitat plenitudo diuinitatis corporaliter. Col. 2. Quare Christi humanitatem à diuinitate, à qua ad nos missus est, nunquã cogitatione discerno.

Dominum nostrum.

Dominus noster etiam est secundum humanitatem. A Deo enim omnium accepit potestatem quæ in cælo & in terra sunt. Mat. ult. Et potestatem dedit ei iudicandi quoq; quia filius hominis est. Ioan. 5. P. Refert ne mea quidquam Christum esse Dominum nostrum? F. Proculdubio uehementer, tum ut securius hic uiuere nobis liceat, tum ad intelligendam certius Christianam libertatem. Ex quo enim Christus Dominus noster est, consequitur & nos dominos omnium rerum esse, nihilq; nobis posse nocere. P. Quod hoc ex isto colligatur, uelum apertius explices. F. Id uero haud difficile est explicatu. Manet siquidem in nobis et nos in eo, Christus. Io. 15. Ad hæc caput est Ecclesiæ. Ephe. 5. Omnes unius corporis membra sumus, caput uero Christus est. Rom. 12. Et 1. Cor. 12. Quando igitur eiusdem naturæ sumus cum Christo, reliquum est, ut cum Christus omnium Dominus sit, & nos omnium rerum in Christo dominos esse. Iam uero ubi libertas huiusmodi non est, ut isthic neq; Christus sit necesse est. Quo absente legis seruituti non possumus non esse obnoxij. Proinde uetat Paulus ne rursus seruituti hominum nos dedamus, neque elementis mundi nos irretiri sinamus. Col. 2. 1. Cor. 8. 9. & 10. Rom.

10. Ro. 14. P. Nunquid Christianū ligare potest constitutio aliqua humana? F. Nulla quatenus ad animā attinet, ut sunt traditiones de dierum discrimine, ciborum delectu, atq; matrimonio. Doctrinae enim sunt Dæmoniorum. 1. Timoth. 4. At externis & politicis ordinationibus, quas pro commodo reipub. magistratus civilis instituit, nequaquam parere grauabitur Christianus. Quin potius iacturam et bonorum & corporis facturus est, quam quod magistratus dicto non audiat, haud ignarus hunc Dei ordinationi resistere, quisquis potestati restiterit. Rom. 15. Tit. 3. P. Age uero si quis uoto se obstrinxerit, certos cibos non gustaturum se, uxorem uē non ducturum. Est ne huic seruandum perpetuo uotum? F. Christiani uerba sunt. Est est. Non non. Quicquid igitur receperis te facturum unde ad proximum aliqua redit utilitas, idem praestato. Ceterum si contra Dei praecipuum quid uoueris, uouendo peccasti, at si idem praestare coneris, bis iam peccas. P. Quid audio? F. Quisquis externae se seruituti, qua anima obstringitur, mancipauerit, contra Pauli praecipuum agit, inquit enim ad Gal. 5. In libertate qua CHRISTVS nos liberauit, stete. Et ne rursus iugo seruitutis implicemini. Christianus ad haec nihil iuris nec in corpus nec in animam suā porrò obtinet, totus Deo per baptismū consecratus, ut cōformis imagini filij sui reddatur. Ro. 8. Nemo uestrū sibi uiuit sed Domino. Ro. 14. 2. Cor. 6. Verū equidē est. p. fiaō liberos nos esse, at charitas nos oīm seruos facit. Nequa

INSTITVEND. PVER.

Nequaquam igitur licebit Christiano à seruitute qua omni-
 bus est obnoxius, sese subducere, ut paucis nescio quibus,
 eò commodius se mancipare queat. Quemadmodum non
 furandum est, ut hinc elemosynam erogare possis. Sic
 item nemini concessum est à debita omnibus seruitute col-
 lum subtrahere, ut hijs tantū seruias, quibus cū uoto com-
 muni uiuere instituisi. F. Paupertatem ne quis uouere po-
 test? P. Diuitem pauperem uic esse non est in manu nostra,
 sed ex benedictione uoluntateq; Dei cuius obtigit. Cete-
 rum omnibus est præceptum manibus suis laborare, ut
 alijs subuenire possint. Ephe. 5. & 2. Theß. 3. Iam uero
 Monachi promittunt se nihil proprii seruaturus, interim
 tamen ociosi deuorant aliorum sudores, contra præ-
 ceptum hoc Pauli, à quo nemo eximitur, qui non laborat
 non manducet. F. Probas ne uota sacrificorum, monacho-
 rum uic, quibus sibi ipsi nuptijs interdicunt? P. Minime. Sunt
 enim uota huiusmodi ex doctrinis Dæmoniorum. 1. Tim-
 moth. 4. F. Egregia uero res est uirginitas, ut quam Chri-
 stus, materq; sua uirgo sanctissima illibatam seruarūt. P.
 Haud dubie Angelicum est adeo caste uiuere, eoq; nomine
 cælibem uitam instituere, ut cōmodius gloriæ Dei proue-
 hendæ incumbere possis, id uero summa laude dignum est.
 Atq; hoc Paulum aliquandiu fecisse constat. At si ideo ma-
 trimoni j uigo colla subdere nolis, quasi opere isto mereri
 quidquam te putes, toto cælo erras, atq; adeo tentas Deū,
 quasi scilicet is haud satis bonorum operum nos docuerit.
 Nihil enim uspiam in sacris literis de uirginum statu ser-
 uando

uando cautum legimus. Matrimonium uero statim à condi-
to homine Deus instituit. Non est bonum inquiens homi-
nem esse solum. Item. Mulier à uiro ne separetur &c. F.
At multo uiuitur quietius extra matrimonium. P. Nemo
querat quæ sua sunt, sed quod alijs sit conducibile. Huc
omnes summa contentione feramur. Iuxta igitur generale
preceptum. Omnis quisq; suo tempore matrimonium su-
beat, nisi Deus specialiter quempiam uocet ad celibatum.
F. Qui potes scire. Vocatus ne sis ad matrimonium aut ad
celibatum? P. Tantisper præcepto Dei alligamur, donec
aliud charitas, obedientiaq; erga Deum exigit. Quemad-
modum si me Deus ad aliquam functionem uocet, quæ ad
illustrandam Dei gloriam, proximumq; beneficijs deme-
rendum mire commoda sit. Iam si matrimonio impedire,
quo minus commodo functioni meæ incumbere possem,
nequaquam matrimonio me dare nomen conueniet. Quo
nomine & Paulus ad tempus ab uxore se abdicauit. Dona-
bit uero is qui te uocauit, abunde quicquid uocationi digne
perficiendæ commodabit, atq; adeo gratia sua carnem tu-
am infrenabit, ut caste sobrieq; liceat tibi uiuere. Quem-
cunq; enim Deus specialiter uocat, huic & ea sufficit,
quibus & expedite et digne muneri suo præesse potis est.
F. Quantum igitur intelligo, non abhorrent à matrimo-
nio uestri animi, nisi ad singularia munia Deus uos ascie-
scat. P. Rem ipsam diuinasti, nihil tamen iniussu paren-
tum instituemus. F. Possunt ne impuberes absque paren-
tum con-

INSTITVEND. PVER.

tum consensu matrimonium contrahere? P. Minime, ut
 ue contrahāt, non tamē debet ratum haberi. Adhuc enim
 in patria sunt potestate. Parentibus autem obediendū est,
 neq; quicquam in rebus presertim magni momenti ipsis ne
 scientibus, tentandum. P. Quid si parentes, ut non raro
 est uidere, negligentes hac in re fuerint. F. Esto, negligentes
 sint, non tamen euestigio tibi ius erit aliqd ex propria
 libidine agere. In consilium igitur adhibeto amicos, cogna
 tos aliosue honestæ uitæ homines, quibus tuum consilium
 indica, utq; cum parentibus tuo nomine amice agant, roga
 to. Omnibus enim modis tibi cauendum est, ne morem pa
 rentibus gerere de rectes, presertim si æqua et honestati
 bi iniunxerint. P. Ex hijs omnibus, ni fallor, credere mihi
 uideris, Christianum quo ad externa omnia liberum esse,
 neq; ullo mundi elemento conscientiam ligari. Proindeq;
 mordicus retinendā libertatem, in quam nos C H R I
 S T V S asseruit. F. Istiuc credo. Persuasum enim ha
 beo ita Christianum comparatum esse, ut ultro et subeat
 et ferat, quicquid Domino uisum fuerit. P. Consequi uide
 tur hinc Christiano licere facere quicquid uolet. F. Nihil
 minus. Paulus enim ait: In libertatem uocati estis, tantum
 ne libertatem in occasionem detis carni, sed per charita
 tem seruite uobis inuicem, Gal. quinto. Quam sententiam
 ego subinde mecum expendo, ne cui sim offenculo. P. Ex
 emplo mihi parænesim hanc declara, nondum enim satis
 intelligo. F. Nullo non cibo Christianus uesci potest libe
 re. Verum si propter cibum frater tuus contristatur, iam
 non se

non secundum charitatem ambulat Rom. 14. Simulacrum
 item nullum est in mundo neq; etiam quod simulacris imo-
 latur aliquid est, at cuius conscientia etiamnum infirma ex-
 istens imolatitiū edat, polluitur. Si igitur is qui scientiā ha-
 bet, simulacrorū epulo accūbit, iam infirmus ut de eis dē-
 edat, prouocatur, atq; offendiculo hoc perdit fratrem in-
 firmum, libertate sua prepostere iam abusus. 1. Cor. 8. Lis-
 cet igitur simulacrum nullum sit in mundo, nihilominus ta-
 men simulacrorum cultus in externis huiusmodi defugien-
 dus est. Proinde quisquis potestatem habet tollendi ē me-
 dio simulacra, atque adeo purgandi ecclesiam externam a
 reliquis abominationib; id autem facere negligit, eo q; no-
 ut idolum nullum esse in mundo, iam scientia inflatus, li-
 bertate sua abutitur in offendiculum simplicium, receptu-
 rus indubie iudiciū suū. Ceterū Magistratus interest nihil
 curare impietatem eorum qui simulacra, missas, & reli-
 quas id genus abominationes amplexantur, sed potius tol-
 lere quicquid infirmis offendiculo esse potest. Quemadmo-
 dum Iosias, et si populus nondū conuertisset se toto corde
 ad Deum, nihilominus tamen sustulit ē medio simulacra
 cultusq; preter uerbum Dei introductos. Deus corda homi-
 num solus ab idololatria uindicat, ueri cultus atq; adeo di-
 uinationem nobis inserens. At regis interim erat exter-
 na hæc submouere. Alioqui excusabilis esset Hosea rex
 ultimus Israel, is enim et si populo liberam fecisset potesta-
 tem ascendendi ad Hierosolyma, atque isihic iuxta D O
 M I N I præceptum, ut ex prophetis est deprehendere,
 Legitima

INSTITVEND. PVER.

Legitima deo sacra facere. Quia tum non demolitus est vitulos aureos, neq; etiam excelsa sustulit, malus uocatur, atque ob id à rege Assyriorum, domino ita officij sui negl gentiam uindicante, punitus est misere. Verū nihil ad uos pueros isthæc. Magistratus uiderit ut Spartam suam, qd̄ dicitur, probe ornet. Vestrum erit ex corde euellere simulachra, atq; Deum simplicissime in spiritu & ueritate adorare. Proinde caute modis omnibus ne honore aliquo simulachra prosequamini, neue genua flectatis, caput non renudetis idolo, interne enim Dominus duntaxat & honorandus & timendus est. In hoc uero unice uobis erit incumbendum, ut eos qui in potestate sublimiori sunt constituti, parentes item, atq; natu grandiores honore externo dignemini. Alius alium honore præueniat inquit Paulus, & animo & gestibus externis. Nemo autem id honoris lignis aut lapidibus impendat. Sed ut finiam tandem, Magistratus quemadmodum dixi, curct, ne quo pacto in officio suo cessatorem agat, ad eaq; conuiueat quæ lapsus occasionem infirmis dare possunt, ut sunt Idola & missæ. Non autem solum ut è medio tollat huiusmodi offendicula, astringitur, sed ut etiam impigre uerum Dei cultum promouere studeat. In hoc enim gladium accepit, ut sit Dei minister. Væ igitur hijs qui tam pusillo sunt animo, ut ad pleraque modo conuiuentes, nonnunq̄ etiam obtrudentes palpeum, officio suo desint, non sine occasione nominis Dei blasphemandi, cum potius ingenue CHRISTVS erat confitendus, atq; ad eo pro nomine suo queuis patiendâ. P. Ro gabo

gabō equidem Deum, ut omnibus qui in potestate eminenti-
 tiori sunt constituti, cum animum impertiat, ut quæ offi-
 cio suo digna sint, sedulo exequantur. F. Quia uero om-
 nes in Domino unum sumus, felicesq; Christi merito per
 fidem facti, cur nam duos inuocas, ut pro te intercedant?
 P. Nequaquam ipsos inuoco. Nihil enim uspiam hac de re
 scriptura meminit. Iam uero quicquid sine fide sit, pecca-
 tum esse noui: Adhæc nullum mediatorem sacræ literæ no-
 bis proponunt, præter hominem Christum I E S U M
 Timoth. 2. F. Ecquid oras porro, cum certum te beatitudi-
 nis gloriaris? P. Quia Dominus idem iussit, neq; dum
 assequutus sum. Phil. 3. Præterea mecum adhuc ueterem
 hominem circumfero, in meq; legis membra sentio, legi-
 mentis repugnantia, adeo ut in me, hoc est, in carne mea ni-
 hil boni esse deprehendam. Proinde oro ut nomen Dei san-
 ctificetur, confestimq; suum regnum perfecte adueniat.
 F. Potes igitur etiamnum peccare? P. Biphariam pecca-
 tur, impij quidem ad mortem peccant, ex temeritate &
 præfracto animo in operibus tenebrarum permanentes.
 Cum enim iræ sint uasa, nihil prorsus de fiducia in Deum
 promissionibus uē diuinis norunt. At Christiani ex car-
 nis necessitate, ut sic loquar, delinquent inscientes & im-
 prudentes. Remanet tamen apud ipsos perpetuo fidei fer-
 mentum, ac in corde securi sunt bonitatis & misericor-
 diæ Dei. Ideo non peccant ad mortem. Siquidem non re-
 manent in operibus tenebrarum, certissimi de aduentu
 C H R I S T I in carnem. P. Peccare igitur eti-
 B ant fidelis

INSTITVEND. PVER:

am fidelis poterit? F. Potest. P. Quando igitur qui peccat in morte est, quo pacto accipis hoc Christi uerbu. Qui credit in me, habet uitam eternam. F. Fide obtinemus uitam, sed nondum perfectam, neq; enim adhuc perfecte credimus. Proinde quo imperfectior nostra fides est, eo plurius degrauiamur peccatis, atq; adeo morte ipsa. Omnia namq; sub incredulitatem Deus conclusit, ut omnium miseretur. Quod sane si probe expendimus, ad humiliandos nos mirifice confert, atq; ad Deum per Christu nos impellit. In carne quide nostra nihil est inuenire praeter summam desperationem. Ex promissionibus uero Dei nobis Christi merito praestitis, certa securitate animus tranquillatur. Quisquis igitur hoc diligenter considerauerit, affectus suos mortificare conabitur, in unumq; Deu summa contentione rapietur, ipsius gloriae unice, ex totoq; peccatore studiosus. P. Potest ne quispiam certo habere exploratum huiusmodi sibi esse securitatem? F. Securitas haec soli fidei innititur, adeo ut quo plus credis eo etiam securior es. Ex quo autem Christianus adeo se Christo mancipauit, ut omnib. alijs rebus propter huc posthabitis, Deo uni adhaereat, in hocq; uno delicietur, non poterit non ex fructibus apud se ac domi, quod dicitur, deprehendere cuiusmodi sit arbor. Hinc & Dominus Ezech. 20. Sabbata inquit mea sanctificate, ut sit signum inter me & uos, ut sciatis quia ego Dominus Deus uester. Si etenim ultra ad proximum charitatis officijs mihi demerendu pro pensus fuero, patienterq; aduersa omnia feram, cognosco tanqua

tāquam de gustu, ut aiunt, Deum mihi propitium, ac cor
meum spiritu suo iam innouatū. Huiusmodi me argumen-
ta securum atq; adeo certum reddunt beneuolentię diui-
næ fidei q; ueræ fidem non uanam mihi faciunt. P. Perge et
reliqua fidei puncta recensere. F.

Qui conceptus est de spiritu sancto. Natus ex
Maria uirgine. Passus sub Pontio Pilato, cru-
cifixus, mortuus & sepultus.

P. Cuius quæso te uerba hæc admonent? F. Quia con-
ceptus est de spiritu sancto. Luc. 1. Ideo sine peccato ut con-
ceptus sit necesse est. Longe secus atq; nos, qui in peccatis
omnes nascimur. Psal. 51. Ex maria uirgine. Quo impletū
est quod iam olim Esaiā uaticinatus est cap. 7. Virgo conce-
piet & pariet filiū &c. Passus. Nihil enim aliud tota Chri-
sti uita fuit, quā perpetua crux. Ideo in mundū uenit, ut pā-
tris uoluntatē p̄ficeret, animamq; suam in moriē pro no-
bis redimendis daret. Nos pœnam cōmeriti eramus. Sed
ecce Christus qui peccatū nō fecit, pro nobis patitur. Cete-
rum passionem suam in cruce finiit. Sub Pontio Pilato. Is-
tum Hierosolymis præsidem egit Cesaris Rom. Abla-
ta enim erat regia potestas à Iuda iuxta prophetiam Ia-
cob. Gen. 49. Præterea cum Iudæi nihil porrò haberent
potestatis condemnandi quenquam ad mortem, et gentes
oportebat Iudæis conspirare, quo neci Christus daretur.
Psal. 2. Crucifixus. Mortem, qua nulla est magis ignomi-
nosa, CHRISTVS subire uoluit, ut nos ab
omni ignominia, atque adeo à morte ipsa liberaret.

INSTITVEND. PVER.

Ad hæc exemplum nobis dare uoluit, insequendi uestigia ipsius. 1. Pet. 2. Hoc est ut ueterem Adam cum concupiscentijs suis crucifigamus. Mortuus. Ex obedientia scilicet patris. Ioan. decimo. Per spiritum seipsum obtulit immaculatum Deo, purgans conscientiam nostram à mortuarijs operibus. Hebr. 9. Atq; adeo peccati hostia nobis factus est. 1. Cor. 5. Sepultus. Reuera mortuus est, non aliter atq; nos morimur. Curandum tamen est nobis, ut unà cum ipso & moriamur & consepeliamur. Id uero tam sit quum longū ualere dicimus carnalibus affectibus, unumq; Deum in nobis operari sinimus. Id quod uere est sabbatum sanctificare, etsi non contingat plene tantisper dum hic agimus, Continget tamen indubie, ubi in aliam eamq; sempiternam uitam translatisuerimus.

Descendit ad inferos.

Christum descendisse ad inferos, luculenter patet ex Psal. 16. Et Act. 2. Quemadmodum mortem oppetiit Christus, sic & ad inferos descendit, non spectans hic modum suum, sed ut ego, omnesq; fide ipsi insiti à morte, atq; adeo inferno simus liberi. F. Qui te liberū ais à morte, quum non secus tibi moriendum sit, atq; alijs mortalibus? Communis enim lex hæc est, à qua nemo eximitur. P. Et si Christiani in Domino obdormiant, reuera tamen nō moriuntur. Soluta enim à corpore anima quiescit, tantisper donec nos Dominus iterū expergeficiat. Christus nostra uita est, in quo si māseris, hoc est, certo persuasus es de bonitate sua erga te, uiues perpetuo.

Tertia die resurrexit à mortuis.

Traditio

Traditus est propter peccata nostra, et excitatus propter iustificationē nostri. Rom. 4. Iustus pro iniustis mortuus est, ut nos adduceret Deo, mortificatus quidē carne, sed iustificatus spiritu? Si resurrexistis cū Christo, superna quaerite, ubi Christus est ad dexterā Dei sedens. Col. 3. F. Quid nam hinc habes cōsolationis? P. Multum sanē. Ex quo enī nihil dubito, Christū pro peccatis meis mortuum in morte manere nō potuisse, certo iam noui satisfactum pro meis peccatis, eademq; una cum morte superata esse. Neq; porro nobis in morte manendum, sed per uitæ inuouationem ad beatam immortalitatem impigre contendendum est. Ideo et sequitur.

Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram patris omnipotentis.

Articulum hunc Act. 1. habemus. In caelestibus ad dextramq; patris Christus residet, hoc est, excellentissima potestate, atq; adeo diuina gloria dignatus est ipsum Deum super omnes cælos et Angelos, ut inferne omnia impleret, hoc est, ut nos per spiritū sanctū et dona sua gubernaret. Ephe. 4. F. Ecquid commodi adfert istihuc credidisse? P. Haud mediocre. Consolationi enim mihi est, quotiescunq; aduersis præmor. Quando enim cogito Christū adeo me dilexisse, ut non dubitarit animam suam pro me redimendo in mortē tradere, quid porro deesse mihi poterit? quid ne incommodi accidere, Christo rege et Domino omnium bonorum à me stante.

Inde uenturus est iudicare uiuos et mortuos.

INSTITVEND. PVER.

Christus semel uenit, ut nobis per ipsum ad patrem uia
 pateret, hoc est, primo aduentu nostris peccatis morte sua
 expiatis & docuit, & exemplum nobis dedit, quo pacto
 iuxta patris uoluntatem nobis uiuendum sit. Secundo ad-
 uentu adueniet iudicaturus uiuos & mortuos, hoc est, iu-
 dicij sententiam manifestaturus. Sumus enim omnes mo-
 do ipsius iudicio aut condemnati aut in uitam prædestina-
 ti. Verum iudicium hoc tum primo patefiet, quum secun-
 do aduenerit. Hinc & iudicij dies uocatur. Iudicare uero
 mortuos nihil aliud est, quam damnatorum conscientias
 hic reprobare, altero autem aduentu promulgare, atque
 adeo ipsorum condemnationem consummare. Viuos autē
 ideo iudicare dicitur, quod omnium qui in Christo uiuunt,
 redemptio tum perfecta fiet. P. Abest interim Christus,
 donec redierit iudicaturus? F. Nequaquam. Semper enim
 præsens est spiritus suo, usque ad consumationem seculi.
 Matth. ult. Et ubicunq; duo uel tres in nomine suo fuerint
 congregati, in medio ipsorum est. Matth. 18. P. Quomodo
 modo hoc fit? F. Nemo hæc scire potest, nisi quis experia-
 tur, fide solida innitenti Deo, nihil minus quàm terrena sa-
 pere. Is enī tā potēter spiritu Christi agitur, ut omnib. mo-
 dis cupiat, ipsius gloriā promotā, & proximi cōmodum.
 Id quod ubi & serio agit, non potest nō meminisse Christi
 redemptoris, tū beneficia ipsius, tum exemplū quod nobis
 uita sua expressit, subinde ob oculos sibi ponens. P. Est
 ne aliquando corporaliter præsens Christus? F. Minime.
 Christum enim præsentem esse, pugnat aduersus hos tres
articul.

articulos. Ascendit ad caelos. Sedet ad dexteram patris. Inde uenturus est, iudicare uiuos & mortuos. Ad discipulos praeterca suos ait: Expedi uobis, ut abea. P. At uero quid sacrificiis Papisticis respōdebimus, q̄ dicere uō uerētur, quoties quinq; haec uerba pronunciarint. Hoc est corpus meū, subito Christū corporaliter adesse, panēq; in corpus Christi transmutari. F. Absurde hij loquuntur. Nusquam enim inuenies Dominū ipsis huiusmodi potestate contulisse, aut mandasse, ut uerba haec, isto transmutandi panis consilio, super panem proferant. Quicquid scriptum est in nostram utilitatem est scriptum, ut hinc uel meliores reddamur, uel consolationis aliquid percipiamus. P. Si igitur isti errant, ueram & germanam uerborum istorum intelligentiam mihi explica. F. Non aliter intelligenda sunt, atq; ea Paulus intellexit. Quotiescunq; ait comedetis panem hunc. Et de poculo biberitis, mortem Domini annunciate, donec ueniat. Qu. d. Quotiescunq; cenam Domini agitis. Semper annunciate Domini mortem, donec secundo aduentu corporaliter redeat, ea nimirum specie ac corporis habitu, quo tum apparuit. At spiritualiter nunquā nō praesens est fidelib. Neq; uero aliter accipiēda sunt uerba haec, quā Dominus eadē accepit, oīa tum loquutus tū operatus in nostrā salutē. Corpus et sanguinē suam spiritualiter manducandū dedit discipulis, hoc est, uoluit ut solida fide crederent corpus et sanguinem patri offerendum in cruce pro multis, quo nouum & eternum gratie foedus sanciretur. Nempe ut **D O M I N V M**
 B 4 certo

INSTITVEND, PVER,

certo scirent sibi ipsi Deum esse propiciam, ipsi uero con-
 tra Dei forent filij aduerticij & heredes in eternum. Id sa-
 ne in cena hac ultima Christus adumbrare uoluit. P. Senti-
 re igitur uideris. Nihil profus fidelem hesitare debere
 quin Christus hijs uerbis corpus & sanguinem suum in
 mortem dederit, pro nobis redimendis. P. Ita sentio, ideo
 etiam adnectit. Quod pro uobis traditur aut frangitur. Et
 qui pro uobis effunditur in remissionem peccatorum. P.
 Non igitur credis Dominum in cena carne & sanguinem
 carnaliter ex pane fecisse, aut sub pane unque latitare uo-
 luisse. P. Minime id credo. Qui enim Christus in panem se
 mutasset accumbens uisibiliter discipulis? Panis praeterea
 post uerba haec, panis mansit. Neque unum, unum esse de-
 sist. Suo enim proprio nomine utrumq; appellatur a Do-
 mino, post etiam uerborum pronunciationem. Omnia pro-
 culdubio opera Domini uera sunt, atque ut sunt, appa-
 rent, aut spiritualiter aut corporaliter, quodlibet pro natu-
 re suae conditione. Posteaquam enim ex aqua uinum fecit,
 aqua esse porro desist, naturaliq; uinum sentiebatur. Ceco-
 ilem ab infantia ita restituit uisum, ut etiam Pharisei qua-
 libet calumniosi id non potuerint inficiari. Sic & Laza-
 rum a mortuis in uitam reuocauit, ut nemo tum ambigeret
 Lazarum uera donatum uita. Eodem modo corpus & san-
 guinem uere nobis donat, non quidem corporaliter, sed
 spiritualiter in cibum & potum. Aut enim qui manduca-
 uerit carnem meam & biberit sanguinem meum, in me
 manet & ego in eo. Id quod spiritualiter tantum fieri so-
 let a sa

let à fidelibus, fides enim ipsorum quotidie fit auctior ac solidior, toti sunt in propaganda quam latissime, Christi gloria, fratrum commodo student. Mundum discunt cōtemnere. Quibus omnibus tanquam certissimis argumentis, inuisibilis Christi præsentia deprehenditur, interim tamen quum nullam hic carnalem præsentiam experiamur in pane, carnaliter adesse nequit. F. Quibus scripturis confirmare potes, Christum carnem suam non dedisse carnaliter discipulis manducandam. P. Plurimas habeo quæ meæ sententiæ subscribunt. Cap. 6. Ioan. Dominus carnalem manducationem ut inutilem reijcit, addens uerba sua spiritum & uitam esse, hoc est, se loqui tantum de spiritali manducatione & potu uiuifico, id quod interne fit per fidem. Quicquid enī carnale est, & quo etiam impius communicat, spiritus & uita esse nequit. F. Nunquid eadem manducatio præscribitur Ioan. 6. Et in porrectione panis ac uini in cæna? P. Eadem sanē, nisi quod in cæna Dominus signa hæc adiecit. At doctrinæ summa eadem utrobiq; Ioan. enim 6. ait: Panis quem ego dabo caro mea est, quæ ego dabo pro mundi uita. Eodē per omnia tendunt quæ in cæna dixit: Accipite, hoc est corpus meum quod pro uobis traditur. Similes loquendi formæ sunt, eundem igitur ut sensum habeant necesse est. Quare cum nemo non ea quæ Ioan. 6. scribuntur de spiritali manducatione intelligat, quæ insania est nolle eodem modo accipere quæ in cæna loquutus est Dominus. In summa Christus cibus spiritalis corde manducatur, non igitur ore dentibusq; comedi potest.

INSTITVEND. PVER.

test. P. At uerba hæc : Hoc est corpus meum, clara sunt & per spicua. F. Verba Domini lumen sunt, intellectumq; præstant paruulis, hoc est, ad fidem & charitatem docendam trahunt, atq; adeo dirigunt omnia. Omnis adhæc prophætia debet esse secundum analogiam fidei. Si enim uerbis nudis, ut ita dicam, sine fidei analogia inherere semper oportet, religio mihi esset, patrem meum, patrem appellare. Neminem præterea in uia salutare neque calciatum incedere liceret &c. In uiuificantem spiritum non in literam mortuam nobis est respiciendum. Quicquid Dominus & loquitur & agit saluiferum nobis existit. Qua de re & Saluatoris cognomē obtinet. Proinde nunquam periculo se errabitur quoties manifestis uerbis, & alia ad germanū spiritus sensum accepta cōponamus, atq; adeo ex loco aperto, alterū obscuriorem, eodē tamen tendentiē, interpretemur. Sed & accipienda sunt omnia iuxta loquentis intentionē, ut non tam uulgo quàm uere dicitur. P. Quid præterea utilitatis hæc tibi uerba adferunt? F. Verbis hijs memoria redemptionis meæ, corpore & sanguine Christi mihi partæ, renouatur, uegetatur, fortiorq; euadit, atque adeo Christum sic uere possideo, non quod panis sit, aut in uel sub pane delitescat, sed quia nihil addubito ipsum pro me mortuum. Non insolens autem CHRISTO fuit spiritualia signis corporalibus adumbrare, ne non uel sic hominū expergesceret ignauiam, modis omnibus, que sua est in nos immensa bonitas, captui nostro sese attemptans. Quemadmodum enim ubi in discipulos flauerat,

staiim

statim subnectit: Accipite spiritum sanctum, non quod flatus ille esset spiritus sanctus, aut quasi flatu isto spiritum sanctum discipuli acceperint. In corda enim ipsorum inuisibiliter sed uere spiritum inseruit. Haud secus et nos Christi corpus fide accipimus, quāuis non existat corporaliter in pane. Panis domini in corpus transit. Corpus uero Christi, energia spiritus sancti, per uerbū in pectus cōmigrat. Verbū externum uox est tantū, qua significabatur internū uerbū, p̄ quod spiritu suo deus cū pectore nostro colloquitur, modo fide ipsi simus facti insiticij. Vbi enī fides abest, nihil hæc externa tum uerba tū signa tibi commodabunt. Sunt igitur Sacramenta signa quidē, Christū præsentem indicantia, quæ tamen fideles duntaxat accipiunt. Quicquid enim ipsum manducauerit, uiuet in æternum. P. Obstare uidetur sententiæ tuæ quod Paulus ait: Quisquis ederit panem hunc, aut biberit de poculo Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Haudquaquā enim pronūtiaret Apostolus reum quempiā fieri mortis, nisi præsens esset corpus et sanguis. F. Si eò loci quorsum spectauerit Paul. quidē ante et post uerba hæc scripserit, probe expēdas, certò cōstabit, eos dixisse Apostolū indigne manducare, qui propriā cēnam in edendo occupabant, adco ut hic esuriret, alius uero ebrius esset. Qua inæquabilitate, eorū, qui fratres esse debebant, charitas scindebatur, quam tamē indiuulsam, atq; oēs inter se, uius corporis mēbra esse debere panis Domini significabat. Ad hoc enī testificādum cōmuniter manducabatur. irreuerenter igitur tā inæquali

cena

INSTITVEND. PVER.

cena mysticum concordie symbolum cum proph. in aere
 tur. Paulus non temere pronunciat, ipsos reos factos corpo-
 ris et sanguinis Domini, ut qui renouarent denuo causam
 ob quam Christus mortuus est, ac sanguinem suum pro no-
 bis fudit. F. At uero qui hoc Pauli dilues: Panis quem fran-
 gimus nonne communicatio corporis CHRISTI est?
 2. Corint. 10. Quomodo enī communicatio corporis Chri-
 sti esset nisi quisq; corpus Christi manducet? P. At idem
 Paulus ait: Nonne qui edunt uictimas participes sacrarij
 sunt? Cum tamen nemo corporale sacrarium sub ui. Amā
 frustillo scilicet delitescēs comedat. Participes igitur sacra-
 rij sunt, qui de eadē uictima participāt. Sic corporis Chri-
 sti participes sunt, qui de eodē pane comedunt, hoc est, ex-
 terne eidem Ecclesie accensentur, boni scil. iuxta ac mali,
 donec ueniat tempus messis &c. Pari ratione participes
 sunt demoniorum, qui demonijs imolata manducant, non
 qui demonia comedunt &c. Age uero mi puer fidem
 tuam iugi passionis Christi memoria corroborato. Neque
 temere cum quoquam hac de re, neque de alijs præterea
 discepta. Non enim Ecclesie DE I contendendi ha-
 bent consuetudinem. Quin potius ueri studiosis, amice
 quod res est, comunica. Operam uero da, ut Christum
 queras ad dexteram patris, hoc est, in celestibus & ca-
 ptum humanum excellentibus, atq; adeo patris gloria po-
 tientem, qui per spiritum nobis est præsens, atque in nobis
 operatur odium mali, amorem uero & studium boni. F.
 Faciam quod iubes, DE O uolente. Quamdiu etenim in
 carne

carne uixero, tum uerbis externis tum sacramentalibus si-
 gnis ita ut æquum est, utar, persuasum habens, nullum ex-
 ternum utile esse, nisi & intus in pectore nostro spiritus
 operetur. Ceterum quid animo uersas quoties medita-
 ris, Christum uenturum ad iudicandum? P. Cogito sanè
 sub extremum iudicium omnes Angelos, homines, Diabo-
 los unà congregandos ad Domini iudicium, atq; isthic uisu-
 ros Christum corporaliter, auditurosq; me simul & cum
 ceteros fideles ad beatitudinem ab æterno electis paratam con-
 uocari. Contra uero impios in ignem perpetuum detruden-
 dos. Ad hæc indefinenter rogandus interim mihi Dominus
 erit, ut tum patri me sistere dignetur perfectum & absq;
 macula, ut pro me intercedat, praua in me emendet to-
 tumq; me nouo homine, qui secundum Deum creatus
 est, superuestiat, nisi enim ipse egerit omnia, oleū & ope-
 ram pdideris. Neq; uero nō & humilius et cauius uitā me-
 am instituere pergo, quoties cogito me sistendum ad iusti-
 huius iudicis tribunal. F. Ecquid deinde in symbolo sequi-
 tur. P. Credo in spiritum sanctum. F. Quid sibi uolunt hæc
 uerba? P. Idem est ac si dixerō. Certo noui ex pprijs me ui-
 rib. non posse consequi promissiones et uitā Christi. Nihil
 enim aliud quā quod est carnis sapio. 1. Cor. 3. Proinde spi-
 ritu suo me uocat pater, & trahit per Christū uitæ sanctitua-
 tis & spiritus autorē, atq; adeo omnium quæ nosse operæ pre-
 ciū est, doctorē. Cum q; ego quid orare debeā prorsus ne-
 sciā, intercedit ipse pro me, innouat, ducit, ac urget aliorū
 sum quā carnis meæ prudentia cupiditā suæ propendet. Ar-
 ticulo

INSTITVEND. PVER.

titulo igitur isto cadit omnis fiducia uirium atque operum
 meorum. Quæ sanè ubi spiritus defuerit uana & noxia nõ
 possunt non esse. Idcirco in spiritum sanctum credo, & nõ
 in uires meas proprias. P. Nosti ne aliquid de trium perso-
 narum in diuinis, ut uocant, discrimine atq; unitate. Quo
 item pacto una sit patris et filij et spiritus sancti essentia?
 F. Deus, uerbum suum, & spiritus suus, unus tantum De-
 us sunt, neque de ipsorum discrimine curiosus est inuesti-
 gandum. Scrutator enim maiestatis à gloria opprimitur.
 Abunde mihi satis est, si nouero Deum meum, unum De-
 um esse Deut. 6. Quod & unico uerbo suo, quod apud se
 erat in principio, omnia creauit, per spiritum uero suum
 omnia sustentat, moderatur & uiuificat. Quodque spiri-
 tus in nobis est sua potentia, & dona, quo spiritu fideles
 tangit, excitat, urget, ducit contra carnem & sanguinem.
 Quisquis spiritum hunc nõ crediderit, nec senserit in cor-
 de, fidem habet uanam ut quæ nequaquam in corde radi-
 ces egerit, sed in lingua tantum resideat. Credit uero in spi-
 ritum sanctum, quisquis nouit fidem & charitatem Dei et
 se dona, atque adeo supra naturam & captum hominis.
 Caro enim et sanguis non sapiunt quæ spiritus Dei sunt.

Credo Ecclesiam sanctam catholicam.

P. Quid per Ecclesiam huiusmodi intelligis? F. Nihil ali-
 ud quam communionem & congregationem omnium fide-
 lium, qui per spiritum sanctum et congregati sunt & re-
 guntur, qui etiam externo D E I uerbo, baptismo, &
 cæna DOMINI inter se utuntur. Cæterû Ecclesia quo-
 ties ge

tles generaliter accipitur, comprehendit etiam mortuos
 qui in *le* Abrahæ quiescunt, unâ cum hijs qui modo cre-
 dunt, in futurumque sunt credituri. Horum omnium Chri-
 stus caput est, nimirum corporis Ecclesiæ, hoc est, fide-
 lum. *Ephe. 4.* Vnum corpus, unus spiritus, quotquot uoca-
 ti sumus, una spes uocationis uestræ, unus Dominus, una
 fides, unus baptismus. Item **C H R I S T V S** ca-
 put est, ex quo totum corpus coagmentatur &c. *P. Pau-*
lo ante te dicere memini, Sanctos nõ esse inuocandos. Iam
uero quum hic eosdem fatearis pertinere ad Christianæ
Ecclesiæ consortium, indubie pro nobis intercedent, nos-
que tanq̃ membra imbecilliora suis præcibus Deo commẽ-
daturi adiutabunt. F. Non dubito quin ipsi in D E O
iam uiuentes, electorum omnium salutem ex animo cupi-
ant. At quando nusquam scriptura, ut ipsos inuocem, ad
monuit, nolo ego temere, ipsius iniussu quicquam tenta-
re, certus C H R I S T V M unum salutis meæ sacrã ef-
se ancoram, ipsumq; unicũ esse mediatorem inter me &
D E V M. P. Eccur Paulus ut uiui pro se inuicem ro-
gent, iubet? F. Ut sic p̃ multos Dei gloria illustretur, ea-
demq; tũ in nobis, tũ in alijs fiat auclior, uerũ defunctos,
quũ ad metam suã puenerit, Domini iudicio cõmittamus,
solliciti potius de uiuis quos nusq̃ nõ scriptura nobis com-
mendat. P. Si Christus Ecclesiæ caput est, ut ais, cõsequi
tur necessario ipsã esse inuisibile, quẽadmodũ et caput est,
regnãs modo in caelestib. et spiritualibus, neq; porrõ ocu-
lis corporeis apparẽs. F. Neq; id mihi obscurũ est, ideo et
Christia

INSTITVEND. PVER.

*christianam credo ecclesiã oculis corporalibus conspici nõ
 posse. F. Quare Christus caput appellatur? P. Caput ut à
 capite quicquid roboris totum caput habet, in membra dõ
 manat, sic quicquid gratiæ aut spiritus habemus, Christus
 nobis impartitur atq; adeo solus nos moderatur, bonũ om-
 ne in nobis operans, Rom. 12. 1. Cor. 12. Ephe. 4. F. Age
 uero ubi loci christianam Ecclesiã dicis esse, Romæ ne an
 Constantinopoli? P. Vbiq; terrarum & gentium, ubicunq;
 fideles agunt, licet nusquã ab humano die id certo indicari
 queat. Credere enim ipsam necesse est. Summa, quicunq; ex
 animo credunt, ac pietatis studiosi membra sunt ecclesiæ.
 Proinde nulli potestati seculari subijci potest, unum Chris-
 tum dominũ & regem sibi à patre præfatum agnoscens.
 F. Nũquid & peccatores ecclesiæ debent accenseri? P. De-
 bent profecto, hij tamen præcipue, qui iuxta propositum
 Dei uocati sunt, tales enim sunt Dei, nec quisquam ipsos de
 manu eius rapere potest. Pater enim qui dedit maior om-
 nibus est, Ioan. 10. Sanguis Christi emundabit nos. Cetero-
 rum qui à Deo non sum electi ad uitam, et si fũco sanctimonia
 niæ externæ sese pro christianis uenditent, proq; christia-
 nis habeantur, nequaquã tamen ad Christi Ecclesiã per-
 tinent. Ideo & Ioan. ait. Multi sunt antichristi, è nobis pro-
 fecli sunt, sed nõ erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis,
 permansissent utiq; nobiscum. 1. Ioan. 2. Sic & Paulus sati-
 ra quadam iactantia gloriatur sibi persuasum esse, & ni-
 hil prorsus ipsum separare possit à dilectione Dei quæ est
 in Christo Iesu. F. Probe id capio, Christus etenim & sua
 um cor^a*

um corpus se instar personæ unius habent, nec quisquam
 membrum corporis huius esse potest, nisi perpetuo in cor
 pore maneat. Hypocrite quidem ementita sua sanctitate
 mundo uidentur pertinere ad Ecclesiam, tandem uero hij
 eradicabuntur. Matth. 13. P. Quam potestatem huiusmodi
 habet Ecclesia? F. Paulus membrum sanè haud postremū
 Ecclesiæ ait! Potestatem mihi dedit Dominus in ædificati
 onē, & non in destructionem. 2. Corinth. 13. Omnia enim
 ad ædificationem fieri oportet. 1. Corinth. 14. In quē usum
 dona etiam spiritualia sunt destinanda. Nempe ut quate
 nus ad ædificationem faciant hij sdem utamur. 1. Corint. 12.
 P. Habent ne aliam etiam potestatem prelati, ut uocant,
 spirituales? F. Nequaquam domini hij debent esse, sed mini
 stri tantum Ecclesiæ. 1. Corinth. 3. P. Nunquid excommu
 nicatione, tanquam potestate aliqua uti possunt? F. Mini
 me. Non enim potestas est excommunicatio, sed potius
 charitatis opus. Ideo enim excommunicantur qui
 dam, ut ab eorum & uita & doctrina alij cauere possint.
 Adhæc ut excommunicatus pudore suffusus curet et Deo
 & hominibus uitæ emendatione reconciliari sese. P. Est
 ne Ecclesiæ necessaria excommunicatio? F. Adeo quidem
 necessaria est, ut sine ipsa Christiani esse nequeant, Christi
 anus enim probat omnia, quod autem bonum est, amplec
 titur. 1. Thessalonicen. 5. Neque omni temere spiritui cre
 dit, sed probat spiritus, an ex Deo sint. 1. Ioan. 4. Hinc &
 potissimum cauet à falsis doctoribus Matth. 5. Tit. 3. De in

INSTITVEND. PVER:

ne uita improborū sibi offendiculo sit. 1. Corint. 5. Ephē. 5.
 2. Thessalo. 3. Hoc autem quid aliud est queso, quā ipsissi-
 ma excommunicatio. P. At nemo uere excommunicatur,
 nisi idem ex suggestu publice excommunicatus promulgetur.
 F. Quo aliquis uehementius quempiam contra fidem
 aut charitatem cum offendiculo peccare animaduertit,
 tanto magis & hunc à Deo excommunicatum, uitare sua
 debet. Atqui si peccatori huiusmodi conducibile fuerit non
 submoueri à commercio hominum, modo nulla ipsius con-
 tagione alij offendantur, tolerandus erit. Verum cum pau-
 cissimis spirituum dijudicandorū donum sit collatum, ha-
 bendi sunt tanquam excommunicati, & propterea uitan-
 di quicumque nolunt Ecclesiam audire. Quin & quoad fir-
 eri potest ab auarorum, scortatorum, ebriorum uem me
 consortio subtraham, securus interim, quid cum talibus
 pro modulo gratiæ suæ agant alij, siue tolerant siue deu-
 tent id genus homines. Cæterum si quis negat Christum in
 carnem uenisse, tanto uē mala sua uita offendiculo sit, ut
 infirmi non possint non impingere. Adhæc si quis tam la-
 xis habitis in omne scelerum genus ruat, ut resipiscentiæ
 spes nulla sit reliqua, huiusmodi sanè ab omnibus merito
 uitandus est. Cauendum tamen summopere est, ne temere
 proximorum crimina detegamus, omnibusque passim
 ebuccinemus nulla charitatis ratione habita, ne quando
 noua tyrannis, monachusue pharisaicus sub excommu-
 nicationis specie rursus irrepat. Id quod ad libertatē Chris-
 stianam

stianam & Euangelion perdendum uiam sterneret quam
 latissimam. Proinde obseruandum est diligenter Pauli ex-
 emplum qui Corinthium ecclesie sue solummodo uitandū
 iussit. Idem et Tito scribit, sectarū autorem cauendū. Neq;
 uero non dominus Mat. 18. ait hunc qui Ecclesiam audire no-
 luerit tibi habendū tanquā Ethnicum et publicanū. Tibi in-
 quā, cui uni forte nota est huius pertinacia. Neq; uero ait
 toti Ecclesie, cui forsā scelera ipsius nedū ignota sunt, sed
 et mire sanctulus & pius habetur. P. Nunquid & animam
 ligat excommunicatio? F. Ad ædificationē non ad destructio-
 nem usus excommunicationis spectare debet. P. Sed cur Do-
 minus ait: Quicquid ligaueritis in terra, erit & ligatum in
 celis &c. Matth. 18. F. Quicquid nos ligamus, hoc est, uer-
 bo Dei ligatum ostendimus & declaramus, reuera id liga-
 tum est. Eatenus enim nos ligamus, quatenus Dei uerbum
 quod errare non potest, ligat. Proinde clauēs nihil aliud
 sunt quā uerbum Dei quo cælum aut clauditur aut reclu-
 ditur, hoc est, per quod cognoscitur qui nam ad regnum
 cælorum pertineant, quiue hoc existant indigni. P. Paul-
 1. Corinth. 5. Hunc qui incestum designauit cum nouer-
 ca, publice coram Ecclesia excommunicauit. F. Si quis pu-
 blice omnibus est offendiculo, is & ab omnibus cuitari de-
 bet, hoc est, cum tali nequaquam panem domini frangere,
 neque calicem bibere debemus, atque adeo penitus absti-
 nere à consortio huius. Quantum uero ad ciuilem co-
 habitationem attinet iuxta charitatis præceptum si quan-
 do ope aut opera nostra indiget, ultro adiuuabimus
 & a beneficiis

INSTITVEND. PVER.

benefici & candidi quicquid ad ædificationem ipsius facit
 sedulo curantes. Totique in hoc incumbamus, ut ipsum rur
 sus lucrifaciamus Christo. P. Ex his que dixisti mihi non
 est obscurum, quod Christianorum referi inuicem admo
 nere & obiurgare, simulq; uitare omnes per quos nomen
 Dei sanctissimum male audit, quatenus & nos scire possi
 mus & ad ædificationem facere uidebitur. Atqui uelim mi
 hi explices quidnam commodi Christiano adferant signa
 que uocant sacramentalia, postquam ab uno Christo totius
 pendet, liber ab omnibus externis mundi elementis. F. Ut
 De baptis proximo commodet, sacramentis utitur Christianus, nihil
 mo. planè fiduciæ collocans in hæc externa, siquidem sola fide
 uiuit. Baptismo in Christianam Ecclesiam accensemur.
 Cene uero Dominicæ symbolo fidem et charitatem erga
 proximum testamur. P. Quicumq; baptizati sunt Chri
 stum Iesum induerunt. Baptismus igitur non tam externus
 est signum, quam ad ipsam animam pertinet. F. Baptismus
 externus Christi baptismū significat qui in spiritu et igne
 conscientias à peccatis emundat, ueram iustitiam conse
 rans. Is animæ est atq; adeo spiritalis. Atqui scriptura nõ
 raro figura signoũe utitur pro eo quod signo huiusmodi
 adumbratur. Quemadmodum et aquæ baptismū pro Chri
 sti baptismo usurpat. Hinc & Paulus baptismum, regene
 rationis lauacrum appellat, ac inductionē Christi. P. Qui
 nam sunt baptizandi? F. Omnes quotquot iuxta regulam
 charitatis (que nihil non & sperat & credit donec oppo
 situm

situm manifesto deprehendat) ad fœdus Dei pertinere ar-
 bitramur. Quęcumq; enim Deus tanquam filium suum iux-
 ta electionis propositum agnoscit, eundem & possumus
 & debemus per baptismum tanquam fratrem nostrum ag-
 noscere, nisi aliud iubeat charitas proximiue commo-
 dum. P. Quo uero pacto polliceri tibi quicquam de pueris
 potes quasi ad fœdus Dei pertineant, cum nondum fidem
 suam confiteri possint? F. Quemadmodum Abrahe pueri
 minime a fœdere Dei sunt exclusi. Gen. 17. Sic et nostri pu-
 eri (qui uera posteritas Abrahe sumus) & ad quos pro-
 prie spectant promissiones Abrahe factę, adnumerandi
 sunt fœderi huic gratię Dei, donec adulti operibus testen-
 tur se nolle esse sub fœdere. Proinde Christus ad se pueros
 ferri sustinebat, benedicens ipsos, ac magna autoritate pro-
 nuncians, talium esse regnum cęlorum. Iam uero cum non
 ster baptismus nihilo sanę prestantior sit Christi benedi-
 ctione, qua pueros dignatus est, atque nos, non possumus
 non sperare ipsorum esse regnum cęlorum, par est ut &
 eosdem recipiamus baptismi signo in externam hanc Chri-
 stianorum Ecclesiam, non secus atque ueteres circumcisi-
 oni, fœderi Dei inaugurati sunt. P. Atqui uelut ostendas
 præceptum aliquod, quo pueros baptizare iubeamur,
 quemadmodum ueteres præcepto ad hoc speciali Dominus
 astrinxerat. F. Fœdus quod nobiscum pactus est Deus, no-
 uum atque adeo in corde est suum, neque enim ulla exte-
 rna ceremonia id constat. Quare nihil quod externis aut
 ceremonijs est alligatum nobis præcipitur. Unica charitas

INSTITVEND. PVER.

Christianos, quid factio opus sit, abunde docet. Hæc eadem
 et nos ad ea cogit obseruanda, quæ alioqui mere libera sunt.
 Veteres quidem sub umbra erant, quare & uarijs ceremo-
 nijs lucem futuram præfigurabant. Nobis uero nihil præci-
 pitur nisi charitas uitæ totius magistra idem nos facere iu-
 beat. Sic & cæna dominica nobis non est præcepta. Domi-
 nus siquidem non dixit facite. Sed quotiescunque feceritis.
 P. Atqui uidetur Christus baptismum præscribere Matt. ult.
 Eantes inquit docete omnes gentes baptizantes eos in
 nomine patris & filij & spiritus sancti. F. Hiscæ uerbis
 Christus amandauit discipulos ad gentes prædicatum Eu-
 angelion atque illos qui uerbum essent recepturi, per bap-
 tismum inaugurandos Ecclesiæ Christianorum, simulque
 pro fratribus æque ac Iudæos habendos. Quod ad baptizan-
 dum attinet, nihil isthic loci præcipit aut uetat, sed paucis
 indicat tantum qua ratione quouæ modo prædicatio uerbi
 sit auspicanda. P. Haud difficile hoc est intellectu. Si etenim
 uel nostra tempestate Euangelion esset prædicandum hijs,
 qui antea nihil de eodem audiuißent, ordo huiusmodi accu-
 rate obseruandus esset, ut scilicet primo docerentur, & ut
 ueteres loquebantur, catechizarentur, qui adhuc rudes es-
 sent. Deinde fidei Christianæ, baptismo iniciarentur. Quo-
 tius enim quisque pueros atque adeo sese in nomen Chri-
 sti baptizari sustineret, nisi idem antea sciret, qui dram es-
 set Christus. Principio igitur ut prædicatio antecedit ne-
 cesse est. P. Quid uero respõdes ad exempla de baptizatis
 nusquã

nusquã nõ obuia, in quib. fermè is ordo est obseruatus, ni-
 mirũ ut antea docerẽtur fidei mysteria, quã Christianismo
 p̄ baptismũ nomina dedissent. F. Exemplis huiusmodi, quo
 pacto in principio Ecclesiæ nascentis pleraq; sint obserua-
 ta, docemur. Non tamen consequitur, ut porrò nobis hæc
 sint obseruanda. Charitatis arbitrio externa hæc commit-
 tamus, quæ suo quidq; tempore ordinat, prout commodum
 nouerit. Neque enim quidquam externiligare nos potest,
 nisi quod charitas necessarium obseruatu iusserit. P. Qui
 uero pueris baptismus ex charitate dari potest, cum non
 faciat ad ædificationem? F. Mirifice facit ad ædificatio-
 nem. Nos et enim qui adstamus bonitatis & foederis grã-
 tie diuinæ admonemur, per quod patrem se nostrum fore
 Dominus recepit. Pueri uero maioribus suis & Ecclesiæ
 commendantur, ut quos iam Deo consecratos ad ipsius uni-
 us gloriam educare oporteat. Neque uero non & pueris
 multo binc maior erit occasio honeste uiuendi: Si quando
 baptismi admoneantur, ut per quem iam Deo iniciati Chri-
 stiane porrò uiuere debeant. Vehementer enim proculdu-
 bio pueri mens percellitur, quoties à quopiam hĩscẽ uer-
 bis compellatus fuerit. Heus puer optime: Baptizatus es ac
 Deo consecratus. Proinde cum modo in numerum filiorũ
 dei es coopatus, ut pie uiuas, operam da, hoc deuota, istud
 amplectere &c. Quod si nihilo melior ex huiusmodi red-
 detur admonitione, frustra q; ipsi memoriam officij sui refri-
 ces, haud incommode talem à consortio Christianorum
 per cenam Dominicam excludere poteris. Parens. Sunt

INSTITVEND. PVER.

qui dicant infantium baptismum uehementer noxiū esse.
 Hinc enim non parum multi, ut nihil minus quam Chri-
 stiane uiuant, occasionem arripere dicuntur. F. Frustra
 malo huic, etiamsi baptismum differas, obuiam ibis: Ut
 enim tantisper à baptismo puerum abstineas, donec fidem
 suam confiteri queat, nibilo tamen melior erit. Simulare
 enim tum fidem poterit huiusmodi, totus incredulus. Ba-
 ptismo igitur hypocritam gregi Christiano accensebis, ne-
 miniq; licebit baptismum negare, quicumq; se Christianū
 mēuatur, quamlibet impius alioquin existat. P. At nomen
 Dei in uanum sumis in os, quoties in nomine patris & fi-
 lij & spiritus sancti baptizas puerum, qui hoc dus sit futu-
 rus? F. Tum sanè quis de honestat nomē Dei, ubi prudens
 ac sciens ad nomen Dei glorificandū aliquem baptizauit,
 rit, quem tamen certo nouit adeo impie uicturum porro,
 ut nomē Dei non possit nō male audire propter scelestam
 ipsius uitam. Quando uero nobis certo non constat albus
 an ater sit futurus, quem baptismo recipimus in Ecclesi-
 am, iuxta charitatis regulam, meliora semper sperare des-
 bebimus. Sic Petrus optima sibi de Simone Mago pollicuitur,
 non dubitauit ipsum baptizare: Neq; ideo nomen Dei
 ignominia de honestatum est. Ita & nos cum Petro non
 peccabimus, si charitate dictante eos baptizemus, de qui-
 bus ut bene speremus, nihil prohibet. Christi præterea exa-
 emplo ad eum docemur, qui pueros ad se ferri iussit, benedi-
 cens eosdem, ac pronuncians talium esse regnorum celo-
 rum. Neq;

rum. Neq; absurdum est pueros ex Christianis parentibus prognatos æque ad fœdus Dei pertinere, atq; apud ueteres. Quandiu igitur uitæ suæ improbitate nondum se probauerint indignos fœdere gratiæ, à nobis haud iniuria, & illis adnumerandi sunt, quorum Christus ait regnū esse celorum, idemq; baptismo testari possumus. Vbi uero adulti, uita sua impia se nihil minus quam Christianos esse testentur, possumus & debemus ipsos excludere, nullo baptisimi respectu habito. Paulus siquidem uetus fermentum expurgandum iubet 1. Cor. 5. Nunquam tam bene habebit Ecclesia, quin pijs admisceantur hypocritæ, tolerandi sanè donec messis appetat. Porro si quis tam impie uiueret, ut non posset non omnibus esse offendiculo, talis excludi debet. Iam uero qui excluderetur, nisi antea proprio habitu, in consortium Christianorum fuisset receptus? P. Horū que de baptismo dixisti, summam compendio mihi perstringas uelim. F. Scio hanc esse charitatis naturam, ut nō temere de quoquam suspicetur perperam, sed omnes infatigabili spe tolerat, nisi euidentissimis argumentis coacta, nihil porrò habeat, quod sperare possit. Promde indubie credendum est fidelium pueros æque pertinere ad fœdus Dei, atq; Abrahæ posteritatem. Gene. 17. Iam uero cum baptismus nihil aliud sit, quam in Christianorum Ecclesiam receptio ac iniciatio quædam libera (quia noui testamenti ceremonia est) possumus & debemus cōmunicare pueris nostris signum hoc, ut quos non dubitemus ad Ecclesiā nostram

INSTITVEND. PVER.

nostram pertinere. Si etenim Christus puerorum, quos ad se accersuit, regnum calorū esse dixit, quare & nos idem de nostris non crediderimus? P. Perdurā igitur in hac sententia, qua per baptismum, fidelium pueros, quamlibet infantes Christo consecramus, securus interim quicquid alij maleferiati ac irrequieti homines obstrepāt. Ve im tamen probe uos simul esse memores huius, in quo tota negotij Christiani uis est constituta. Nempe baptismi interni, hoc est, regenerationis spiritualis, affectuumq; carnaliū mortificationis, quæ quidem baptismō nobis figurantur, inq; nobis externum baptismū sequi debent. Proinde quia in filiorum Dei numerum accenseri cupitis, Angelicq; uestri faciem patris intuentur, caute modis omnibus, ne cui stetit offendiculo, quin potius alius alij ad bonum inseruiat, & hortator sit.

DE VSV CAENAE DOMINICÆ.

P. Quid Christiano confert externus cenæ dominicæ usus? F. Ad inuouationem atq; adeo testificationem fidei & charitatis erga proximū. P. Quo modo? F. Quotiescunq; panem Domini frangimus, fidem nostram in Christum renouamus, simulq; charitatis mutue nos inuicem sedulo memores testamur. Rememoramus enī, credimus, & gratias agimus Domino, quod corpus & sanguinem in cruce pro peccatis nostris obtulit, idq; porrectione panis & calicis

nis & calicis tanquã symbolo quodam testamur. Hac ete-
 nim ratione suum corpus edimus, sanguinemq; uere bibe-
 mus, sed spiritaliter & cum ingenti cõmodo. Huiusmodi
 siquidem cõmemoratio per panem & uinum exhibita no-
 bis mirifice prodest. Animę enim cibus est salutaris ad ui-
 tam eternã, adq; omne opus bonũ uehementer nos corro-
 borat. P. Confirmabunt igitur sacramenta conscientias?
 F. Per se quidem nequeunt signa confirmare conscienci-
 as. Quia uero interim dum sacramentis utor, simul & cõ-
 memoro Christi beneficia, morte sua mihi collata, reso-
 cillatur, corroboratur ac confirmatur fides mea in Chri-
 stum, non uirtute sacramentorum, sed commemoratione
 potius beneficiorum Dei, iuxtaq; admoneor charitatis er-
 ga proximum exercentię. Fractione enim panis Domini-
 ci agnosco & alios membra esse eiusdem corporis, cui me-
 nihil addubito iam fide insitum. Proinde cum reliqui eius-
 dem cęne participes ad idem corpus pertineant, totũ me
 consecro officijs aliorum, non mea porrò qua siturus, sed
 que aliorum sunt. Quam ob caussam Paulus Corinthios
 acriter obiurgat, eo quod abuterentur cęna Dominica. Cũ
 enim debuissent foedus cũ Christo atq; adeo cũ fratribus re-
 liquis iclũ, renouare, erant qui proprias cęnas singulatim
 occuparent, gule negotiũ agentes, atq; interim pauperes
 fortiter esuriebant, uel quod non habebant quod ederent,
 uel quia non in tẽpore uenerunt. P. Quo uero modo quis
 se digne ad cęnã preparabit? F. Probet se homo ut Paulus
 docet,

INSTITVEND. PVER.

docet, hoc est, expendat apud se diligēter, experiatur ne in corde suo, certa fide Christū pro se corpus & sanguinem suum in mortem tradidisse, probeq; consideret, an ita ut tam comparauerit, ut paratus sit deinceps omnibus inferre, neminemūc aut fastidiat, aut præ se contemnat &c. Quod si fide & charitate huiusmodi se uacuum esse deprehenderit, Deo conqueratur miseriam hanc suam, rogans eundem in se esse, ut & fidem & charitatem sibi ad augere dignetur. P. Digne nec talis de cœna Domini participabit? F. Proculdubio. Qui enī sic animatus est, Christo & membris suis ad inseruendum fœdere se quodam astrinxit, agnoscens ex animo, simulq; gratias agens benignissimo Deo, adeo nos depereunti, ut non dubitavit corpus & sanguinem suum pro nobis redimendis in mortem tradere. Cæterū si quis benevolentie diuine negligenter memor, citra huiusmodi probationē cordisq; sui examinationē, panem Domini irreuerenter manducat, iudicium sibi manducat. Non enim dijudicat corpus Domini, quod per spiritū charitatis cōmissuris egregie est coagmentatum. Quemadmodum Corinthij non dijudicabant corpus Domini, quum in cœna peragenda nihil prorsus curarent æquabilitatem seruādā, ut Paulus ipsis opprobrat. Manducando igitur panem, corpus Domini tum dijudicamus, quum diligentissime apud nos excutimus, quam inmensa et incomparabilis sit Domini gratia, eidem sic per fidem passionis suæ pro nobis obitæ inserti et incorporati, ut porro libeat summam æqualitatem seruare, atq; adeo que

quæ aliorum sunt unice curare iuxta charitatis regulam,
 Symbolo hoc cænæ dominicæ nobis exhibitam. P. Qui-
 cunq; igitur non dijudicant corpus Domini, neq; uera fi-
 de spiritualiter carnem Christi manducant, calicem uero su-
 um bibunt, hypocritæ sunt. Fingunt enim hi; exter naman-
 ducatione, se id esse quod falso dicuntur. Cum tamen in-
 terim nihil minus cor ipsorū querat. Siquidem Dei Eccle-
 siam contemnunt, cui se temere admiscunt, simulq; incom-
 parabilem passionis Christi thesaurum floccifaciunt, adeo
 incurij ad meditanda beneficia quæ in idem nobis profu-
 xerunt. E. Sequitur igitur quod commemorare passionem
 Domini, mortem suam annunciare, probare se ipsum, di-
 gne manducare, ac dijudicare corpus Christi nihil aliud
 est, quam ex animo cogitare nos omnes in Christo unum
 esse. Idq; nõ meritis aut uiribus nostris, sed redemptione,
 sanctificatione atq; asper sione sanguinis sui. A quo san-
 scopo Corinthij aberrarūt, eo q; cū cænā Domini, qua
 & meditanda cum gratiarū actione passio Domini erat,
 & manducando panem contestanda fides & charitas no-
 stra, summam præ se ferrent inequabilitatem. Ad quam u-
 tandam multus est in toto hoc capite Paulus. Si etenim
 quæ initio præmittit, quæ uero in fine adijciuntur, atq; adeo
 omnia inter se contuleris, certissime deprehendes hunc
 esse genuinum Pauli sensum. Nequaquam igitur aliorum
 temere sunt torquenda, rapienda uero Apostoli uerba, quàm
 uerborū & sententiarū coherentia proprie exigit. P.
 Quicunq; operibus tenebrarum cōm: morationem hanc
 mortis

INSTITVEND. PVER.

mortis Christi contemnere non uerentur, eosdem uitato neque cum talibus panem frangito, nimirum cum scortatoribus, ebrijs et alijs qui. 1. Cor. 5. & Ephe. 5. enumerantur. Tuum igitur erit ut sedulo hac cogitatione te exerceas, dominumq; sine intermissione præceris, ut non tantum lingua, sed & in corde sententia hæc alius agat radices. Regnum enim Dei non est in sermone sed in uirtute Dei, nisi in corde uiuat, nihil expediet quicquid te credere finxeris. Verum pergamus ad sequentia. F.

Credo communionem sanctorum.

P. Et id mihi expleres uelim. F. Verbis hijs confitentur omnes quotquot externe eiusdem nobiscum baptismi et cæteræ participes sunt, interna autem fide uera et charitate sincera, membra se esse probant corporis Christi, ueros esse sanctos, omniaque ex pari inter sese communia habere. P. Quinam ad hanc communionem pertinent? F. Qui non per Christum sed aliunde intrant, quosue Deus non elegit in hoc ut sibi credant, ut sunt Iudei, Ethnici, heretici et peccatores. Aliam enim specialem uiuendi & credendi sibi rationem comminiscuntur. Proinde uehementer detestor ac fugio sectarum autores, dogmataq; absurda que citius contentioni seminarium præbent, quam ut hinc alatur concordia. Malo enim ea amplecti que sanctorum communio approbat, quam noui absurdiue quidpiam temere et cum offendiculo aliorum aut comminisci aut sequi. P. Ad hæc et opera danda est, ex quo communionem sanctorum credis ut donis tuis aliorum utilitati studere non graueris. F. Sedulo quidem in hoc incumbo.

Sicut enim unū membrū, alijs ad cōmodandum mire p̄pensum est, ita et ego ultró alyis inseruire paratus sum. Et quē admodum sūmā est mihi uoluptatis loco, si uidero nobilioribus membris nobiliora quoq; dona et ad multorum comōdum facientia, collata. Sic item imbecilliora nequaquam fastidio, sed eorum infirmitates tolero patienter: Si in me peccarint condono, nemini me p̄fero, et in summa, omnibus me accōmodo, ut omnibus omnia factus quā plurimos Christo lucrifaciam, subinde mecum cogitans, in Christo Iesu nos omnes unum esse. Officium igitur meū neglexero, si ipse mihi uiuere instituā, qui potius quæ aliorū sunt curare atq; adeo alijs uiuere debeo. Rom. 12. 1. Cor. 12. Ephe. 4.

P. Ex hijs est colligere quod omnium fidelium tum orationes tum bona opera inter se communia sunt, singulisq; bono cedunt omnia. Contra igitur sanctorum communionem agunt, qui bona sua opera diuendunt, fraternitates erigunt, ac fundationes, nescio quas, sic enim appellant, instituant, pro se ac maioribus. Verum ea quæ sequuntur explicā. P. Remissionem peccatorū. Et si nos qui ad sanctōrū cōmunionē pertinemus, etiam nū habeamus peccata, eamē per fidē nobis cōdonantur. Credo igitur Deū per Christū peccatorū reliquias mihi nō imputaturū. P. Quid igitur indulgentiæ sunt Romane? P. Remissio sunt pœnæ peccato cōmeritæ, quas condonato etiā peccato Deus à nobis exigit. P. Reseruat ne pœnarum quocquam Deus? P. Pape id loquuntur, sed falso. D E V S quidem suos uarijs ærumanis fere, & non uno crucis genere castigat, ut ad animi demissionem amplexandam, exerceantur:

INSTITVEND. PVER.

Que tum aduersa à Deo immissa, nequaquam est in manibus
 hominis aut tollere aut adaugere. Vane igitur sunt indul-
 gentiæ papisticæ, ex quibus uanissima fiducia lactatur sim-
 plices, pauperesq; suis defraudantur bonis magno sudore
 partis, utq; uerbo dicam, grauatur conscientia, loculi euas-
 cuantur. P. Est ne momenti alicuius, absolutio sacrificio-
 rum, qua conceptis uerbis immurmurant peccata nobis re-
 missa? F. Nihil aliud est quam pernicioza impostura. Qui
 enim papistæ humanas traditiones tantum urgentes, neq;
 ullam partem habentes in regno Dei, alijs possent reclu-
 dere celum? Si etenim christiani essent, crucis uerbo prædi-
 cando unice studerent. Vbi autem fidei donum largiretur
 Deus, non posset non continuo sequi peccatorum condona-
 tio. Tantisper igitur peccata non ignoscuntur, dñi fidei do-
 no Deus nos minime dignatur. Proinde inutilis et uana est
 prædicatio remissionis peccatorum uirtute uerborum ima-
 petrata, erit autem utilis ex energia spiritus per quæ fides
 in corda inseritur. P. Improbas igitur confessionem auria-
 cularem? F. Eam quidem improbo, quæ iam aliquot secu-
 lis obtinuit, hac enim simplices falso persuadentur, quæ-
 si uerba absolutoria, ut uocant, à sacrificulo pronun-
 tiata tantum habeant potestatis, ut eisdem peccata remit-
 tantur. Adhuc opere isto, id est, peccatorum recensio-
 ne putant se mereri gratiam DEI, quæ tamen nullo ope-
 re humano emi potest, sed ex sola Dei misericordia dimen-
 dat. P. Iniuriã mihi facere confessioni uideris, quãdo huius
 non 14

non raro mentionem facit scriptura. F. Nihil profus me-
 minui de confessione auriculari, sed potius de alijs, hijsq; ua-
 rijs & utilibus confitendi rationibus. P. Eas que somibi
 percense. F. Principio Deo confitemur ex corde uero, co-
 ram quo ubi nos peccatores agnouimus, nequaquam por-
 ro nobis imputare uult peccatum. Dixi confitebor super
 transgressionibus meis Domino, & tu remisisti iniquita-
 tem peccati mei. Sela. Psal. 32. Secundo. Confiteri dicimur,
 quando fratri reconciliamur habenti aliquid aduersus nos.
 Matth. 5. Si obtuleris munus tuum &c. Tertio is confite-
 tur, qui increpantem audit ad frugem meliorem sese con-
 uertens. Nisi enim se peccasse agnosceret, nequaquam au-
 dret arguentem, cuiusmodi sane confessio mire utilis est.
 Matth. 18. Quarto, Christianus quilibet coram quouis
 sese peccatorem confitebitur, ut sic pro se inuicem Domi-
 num orent, Iacob. 5. Atq; ut hæc confessio libera alioqui,
 spiritu tamè impellente uehemèter adlubescit Christianis,
 ita contra spiritus libertatem ad Antichristianam confes-
 sionem inuiti cogimur, ut interim taceam, quod aduersus
 scripturam ac nostræ redemptionis ordinem, quãta quan-
 ta est, pugnat. Fide enim sola non operibus electicijs ma-
 nuum nostrarum saluamur. P. Qui uero credis carnis re-
 surrectionem? P. Qui in Domino hinc demigrant, in fide,
 hoc est, sinu Abrahæ quiescunt, redemptionem corporis
 eorum expectantes, donec appetat iudicij dies, Rom. 8.
 Tum gloria Dei tam diu & tantopere desyderata reuela-
 bitur in

INSTITVEND. PVBR.

bitur in nobis, creatura à seruitute corruptionis libera
buntur. Mali iuxta ac boni resurgent in carne, mortaleq;
si quid in nobis reliquum est, à uita absorbebitur.

Et uitam æternam amen.

P. Quo uero pacto isthuc intelligis? F. Vitam æter
nam fidelibus, impijs autem & peccatoribus mortem æ
ternam. Vt enim illi in presenti etiam uita, æterne felicit
atis primitias habent, sic isti quamlibet uiuere uideantur,
& hic in ipsissima morte sunt constituti. P. id uero haud
satis assequor. F. Vt iustus fide sua uiuit, Habac. 1. Ita
impio incredulitas sua mors est. Vtriq; tamen primor
dia solum uitæ mortisue futuræ hic habent. Fidelis enim im
perfectus adhuc est, eoq; carnis tyrannidi ad peccata nos
perpetuorapienti, etiamnum sumus obnoxij. Translati ue
ro in aliam uitam liberi erimus, & à peccato & morte, ui
eturi semper in Deo. Contrà impij, ubi uitæ huius umbra
euanuerit, in ipsam mortem transferentur. P. Proba ue
ro id scripturis. F. Omnis qui credit in eum non peria
bit, sed uitam habebit æternam. Ioan. 3. Qui uiuit & cre
dit in me, non morietur in æternum. Ioan. 11. P. Hoc equi
dem mihi dicere uideris, pios totos in hoc esse, ut inquisit
somnia ac uigilent æterna bona, adeo ut quamlibet per
sequutionibus, & morte ipsa adfligantur, nihilominus
tamē secare uiuant, nec unquam mori queunt. At quo pa
Ho id

Et id fiat ediffere mihi. Mori siquidem pius potest, & an-
 tequam moriatur in incredulitatem prolabi. R. Vita aeter-
 na sita est in spiritu & mortificatione carnis, ad quam sa-
 ne non parum adiumenti adferunt, mors temporalis atq;
 persecutionū procella. Neq; inficias iuero, me posse ali-
 cubi errare, atq; incredulitate tentari. Certus tū sum, De-
 um adco de me sollicitū, ut in summa fidei nequaquam me
 aberrare, aut in errore damnabili hinc emigrare permit-
 tat. Fidelis enim Deus est, & suos cognoscit. P. Vbi nam
 loci purgatorium manebit? R. In horreis ac cellis uinarijs
 Rasorū, quae scilicet praetextu purgatorij egregie instrui-
 xerunt. Neq; enim fides purgatorium admittere potest.
 Quando igitur uitam aeternam credo, ut prorsus negem
 purgatorium, necesse est. A morte siquidem statim anima
 ad uitam aut mortem demigrabit. P. At asseuerant isti
 purgatorium esse uiam, qua eatur ad uitam. R. Christus
 solus est uia & uita. P. Atqui antea pro peccatis satiffa-
 ctum oportet, quā ad caelum uia pateat. R. Christus no-
 stra est satisfactio & redemptio, qui dedit se precium re-
 demptionis pro peccatis nostris, unusq; praestitit, quod to-
 tus orbis praestare nō potuit. P. Paulus, ita enim isti aiūt,
 purgatorium asserit. Sunt enim qui super Christum super-
 strauit ligna, fœenum, stipulam, cuiusq; opus manifestū
 fiet, dies enim declarabit, & cuiusq; opus quale sit, ignis
 probabit. Si cuius opus exustum fuerit, damnum patietur,
 ipse uero saluus fiet, sed sic tanquam per ignem. 1. Cor. 3.

INSTITVEND. PVER.

F. Paulus hic nō loquitur de statu uitę futurę, quemadmodum falso isti Paulum ad hoc confirmandū torquent, sed potius de doctrina uitę quę super Christum fundamentū superstruitur. Hęc si pręter Dei uerbum iuxta humane prudentię consilia extruitur, igne tentationis, ubi aduersa atq; adeo mors ingruere ceperint, damnum patietur. ipse tamē saluus erit, eo quod fundamentū sibi Christus est, sed expolietur per ignem, atq; solido fundamento Christo inedificabitur. Vides igitur quam inepte ad purgatorium confirmandum trahatur locus hic Pauli. Pari ratione & reliquę parabole ac similia, ut de ultimo quadrante, & de ceteris, catenus probant, quatenus & in quem scopum a Domino sunt adducta. P. Ecceur ad ijcis ad finem. Amen.

F. Verbulum hoc uice colophonis est, confirmans pręcedentia, quo nimirum ex animo & fidē solida omnibus electis uitam eternam precor, quam D E V S pater nobis omnibus donare dignetur. Amen.

QVA RATIONE VITAM suam puer Christianus compa- rare debeat.

P. Quonam modo uiuere instituisti? F. Haud equidem id eloqui possum. At quę uiuendi regula mihi sit prescripta, id uero explicatu non est difficile. P. Enarra quęso hanc, quatenus ad Christianę institutionis rationē atinet

attinet. Quo enim pacto externe sit uiuendum iuxta uni-
 uersiusq; conditionem à parentibus maioribusq; idem di-
 scere cuius erit integrum. F. Mane serio mecum expen-
 do, quidnam faciundum quidue sit fugiendum. Quod equi-
 dem per quam commode disco ex iugi decem præceptorũ
 meditatione. In quibus tanquam in speculo mihi ponitur
 ob oculos, qualis nam uita mea esse debeat. Potissimũ uero
 ea meditanda suscipio, aduersus quæ grauius deliqui. Atqui
 quo frequentius id facio, eo certius deprehendo, nequaquã
 in meis situm esse uiribus, ut quæ Dominus iussit perficere
 aut cauere possim. Tota enim ex diametro aduersus De-
 um carnis mee natura pugnat. P. Huiusmodi tui ipsius co-
 gnitio oppido quam necessaria est. Nosse uero abs te per-
 uelim, an ex tali meditatione sedula tranquillitatem et pa-
 cem conscientie consequaris? F. Minime. Hæc enim cogi-
 tatio primũ me in barathrum inquietudinis atq; despera-
 tionis tantum non præcipitat. Proinde meditor in desesse,
 quã liceat hinc me explicare. Totus igitur in hoc sum, ut
 per fidem, qua de crebro diximus, mihi et consilij et au-
 xilij constet ratio. Hæc enim certo mihi indicat, apud De-
 um omnipotentem per Christum I E S V M legis im-
 plende facultatem me posse inuenire. P. Quo uero pa-
 cto isthuc inuestigas? F. Crebra et seruenti oratione. P.
 Quomodo oras? F. Sola cogitatione et uotis. Non aliter
 ac si uarijs angustijs obuallatus quis in unum Deum et
 spem et fiduciam omnem collocat. P. Et quæ ista sunt

INSTITVEND. PVER.

vota tua ac desyderia? F. Deum inuoco tanquam patrem
 pientissimum, ut q̄; in me gloriam suam illustrem faciat se=
 dulo precor, atq; me sua gratia talem faciat, qualem esse
 me decebat. Simul & præterita peccata mihi ignoscat, aq̄;
 futuris me tueatur. Aduersa uero haud deprecor. Non
 enim id ut faciam Dominus usq; am mandauit. P. At ue
 ro Dominus certã formulam orandi præscripsit. Sic enim
 orare iubet:

Pater noster qui es in cælis &c.

F. Non uoluit Dominus ad ista nos uerba cogere, sed
 potius indicare hijsdem, quibus uotis, quoque animo sit ora
 dum. Nihil enim aliud uerbis hijsce uoluit, quàm ut quid
 oraturus meditari debeam, certo mihi constet. Proinde &
 ipse nonnunquam uerba hæc pronunciare soleo, non ut in
 uerborum pronuntiatione orandi uim constitutam arbi
 trer, sed ut potius uerbis hijs admonear, cuiusmodi uota
 mea desyderiaque cordis esse debeant. Quæ quidem quo
 sunt seruentiora, eo minus uerborum eloquor. Non raro igitur
 fit, ut uix uno uerbo prolato, deinde obmutescam, co
 quod statim meditari incipiens quod pronunciaui, porro
 non uacet nec libeat pergere. P. Compendio mihi uelim in
 dices animi tui uota, quorum te singula orationis dominicæ
 uerba comone faciunt. F. Cum dico Pater noster, certa ima
 ginatione concipio fiduciã plenam cõsolationis. Deum enim
 misericordissimũ mihi patrem esse persuasum habeo, meq;
 in filium & heredem suum cooptatũ. in cælis. Hic admo
 ueor, me ad caelestia uocatum, patremq; habere caelestem,
 qui bos

qui bonitate & potentia omnes carnales patres infinitis
modis superat.

Sanctificetur nomen tuum.

Hac pericope cupio, ut ipse tanquam optimus & omni
misericordia exuberans pater, nusquam non cognosca-
tur, adoretur & benedicatur.

Adueniat regnum tuum.

Hoc est, ut suo spiritu & Christi merito, Diaboli tyran-
nidem conterat, quotidieq; magis ac magis in nobis per
Euangelion suum regnare incipiat.

Fiat uoluntas tua.

Vt uoluntas perinde atque in uere celestibus creaturis
nunquam impediatur, hoc est, ut caro nostra coerceatur,
quo minus uoluntati tue obstrepat. P. Que hactenus
in oratione tua enumerasti, in idem ferè recidunt. F. Ita
est. Tribus enim hijs periodis nihil aliud oratur, quam
ut regnū ac gloria D E I in nobis propagetur. Idemq;
in nobis tum laudetur tum glorificetur.

Panem quotidianum da nobis hodie.

INSTITVEND. PVER.

Hijſce uerbis quicquid ad corpus ſuſtentandum neceſſe eſt, pcto, poſteaquam ut ſuum regnũ adueniat iuſtitiaq; ſua illuceſcat, rogauit. In quo & agnoſco temporalia etiã bona iſta, dona ſua eſſe, nobiſq; neceſſaria.

Remitte nobis debita noſtra, ſicut &
nos remittimus debitoribus
noſtris.

Quotidie peccamus, neque pro peccatis ſatiſſacere poſſumus. Precamur igitur ut nobis peccata condonet. Id uero nemo orare poteſt niſi ad eam animi demiſſionem peruenit, ut ex animo queat & alijs, ſi qui ipſum offenderunt ignoſcere, eãque lege rogare Dominum, ut perinde atq; nos alijs, ſic & ipſe nobis peccata condonet.

Et ne nos inducas in tentationem,
ſed libera nos à
malo.

Ex quo ſine intermiſſione, proh dolor, à Satana ſuiſq; membris tentamur, Dominum rogamus, ut nos à malo liberet, hoc eſt, à Diabolo tentatore, quo minus uerſutijs ſuis à bono diuellamur, ne uic ſub cruce impatientes, DEI uoluntati obluſtemur. P. Omnia ne hæc ſemper quoties oraueris, tecum animo uerſas. R. Non ſic per capita atque
iſto

isto ordine, sed in genere. Nimirum ut uoluntatis suæ dicto audiã, gloriaq; nominis sui in me illustretur, ne uic mihi imputet peccata, porroq; me defendat ne quid designẽ, quod legi suæ aduersetur. Vtq; eam tum corporis, tum animæ meæ curam pro me gerat, quam pro liberis charissimis pater pius subire non grauiatur. Huiusmodi uero incidunt, si quando orauero. Et, ut res fert, iam plura, iam uero pauciora. Cæterum ab oratione me ad laborem aut literarũ studium accingo, alterũ ex hijs, quod parentibus uisum fuerit haud illibenter amplexus. P. Age uero quidnam, anteaquam cibum sumpseris, facere soles? F. Quando omnibus citra delectum cum gratiarum actione uesci licet: D E O gratias ago, huiusmodi uel id genus alijs uerbis.

Benignissime D E V S ac pater piensissime, cuius bonitas, diuitiæq; inexhaustæ in sempiternum durant, qui etiam quicquid uitam habet pascis & enutris. Nos tibi pro cibo hoc gratias agimus, quem tuo uerbo sanctificatum, nobis largiter impertiris. Rogamus in super te, ut animas nostras uiuifico pane uerbi, quod ex ore tuo egreditur, pascere digneris, ut sic perpetuò in gratiæ tuæ uita nobis uiuere liceat. Amen.

P. Quid præterea agis? F. Comedo & bibo, summa cum moderatione, tanquam coram Deo teste & spectatore omnium. A mensa uero itidem sequentia precor.

Quandoquidem O piensissime pater tu nos creasti, &

D s pascis

INSTITVEND. PVER:

paſcis ut tua per nos gloria illuſtretur oramus te, nobis concedere digneris, ut diem hodiernum, atque adeo omne uitę noſtre tempus conformes, tuę uoluntati tranſigere queamus, tuum nomen glorificemus, ut & commodum & ædificationem proximi noſtri queamus augere & perficere, quo deinceps abnegato magis animo, patientiores ſub cruce, officioſiores erga proximum, fide quoque ſolidiore in te Dominum ac D E V M noſtrum inueniamur, per C H I S T V M I E S V M D O M I N U M noſtrum, Amen.

P. Quid reliquum temporis agis? F. In uiſo ſcholam ut uel legere, uel ſcribere, aut utrumq; diſcam. P. Quid potiſſimum legis? Multum enim reſert quos primo libros legas. Adeo enim tenaciter hærent que in prima ætate imbibimus, ut porro non facile excidant. F. Lego nouum teſtamentum atque Titum Liuium in Germanicam linguam traductum. Ceterum primas tribuo lectioni noui teſtamenti. Si quando uero in Luio lego, ſubinde cogitare ſoleo, Chriſtianum Deo cõſecratum eſſe, ideo & non ſine timore lego.

P. Hoc tibi potiſſimum ac primum eſto, quod quàm proximè tibi D E V M adumbrat. Interim tamen potes alios etiam libros euoluere, ex quibus que ad ciuilia negotia, adque exacuendum rationis iudicium eſt haurire. Neſque uero non Chriſtianus hinc non obſcure deprehendit, ſolam fidem cum charitate bona eſſe ſtabilia ac uilia. Cetera

feva uero omnia momentanea, fluxa atque periculi plena.
 Animus hominis fidei experientia præditi lectione genti-
 lium librorum moderata magis atque magis subolsfacit
 mundana hæc minime suspicienda esse. Tantiùmque abest
 ut gentilium monumenta cognita obsint Christiano, ut po-
 tius mire conducant ad auellendum animum ab admiratio-
 nererum inanium. Operam tamen dabit Christianus, ut
 sese strenue sacris legendis exerceat, crebro medietur
 D E I oracula. Proinde diligentissime curet, ut Hebrai-
 cam, Græcam & Latinam linguã perdisceat. F. Tot linguis
 discendis qui ego sufficerem? Latinam sanè temporis pro-
 cur su discam. Ait adhæc parens se haud permissurum, ut
 in sacrificulum ungar. P. Potes equidem una serè opera,
 dum latine discis, simul & Hebraice & Græce discere.
 Linguam lingua adiuuat ac exornat, ut quorum benefi-
 cio ad ueram autorum intelligentiam sanuq; iudicium
 peruenire liceat. Tantum præterea abest ut linguarum &
 scripturæ cognitio tibi quamlibet ciuilibus dedito negotijs
 officiat, ut potius hinc magis idoneus ad res gerendas sit
 euasurus. Huc accedit quod paulo ante dixisti, Christia-
 num totum esse D E O consecratum. Cum igitur ne-
 scias ad cuiusmodi functionem D E V S te sit uocatu-
 rus, nihil respue quod quocunque modo tibi bono esse po-
 terit. Iam uero si prædicando uerbo te D E V S præfi-
 ciat, noli obluclari, sed cum summa animi demissione, uo-
 cationi pareto, atque interim te scripturarum lectione
 quantum

INSTITVEND. PVER.

quantum per labores tibi integrum est, exerce, quo dignius provincie tue praeesse queas. F. Conabor sedulo quod tubes. Scio enim me in hoc **D O M I N O** creatum, ut suae gloriae prouehende uitam meam consecrem. P. Ut uero tandem finiam, Coronidem hanc memori meritate seruato. Parentibus tuis ex animo & sponte non aliter atque **D E O** morem geras uelim, uoluntatem tuam frangito. Tibi ipsi ne placeas. Neminem non & meliorem & prudentiorem quam te existima. Tui ipsius ne sis praeco, sed ita uitam compara, ut alij uere tuas laudes ebuccinare queant. Tu uero **D E V M** laudato qui per te, quod laude dignum est, fecerit. Humanus in omnes esto. Neminem non tua beneficentia tibi demereri studeto. Patrus esto uerborum. Nihil temere loquitor, sed diligenter obserua ne quid tibi excidat, quod non antea tecum experderis, uerum sit nec ne, ad aedificationem ne faciat an cuiusquam sit offendiculo. Quod malum est obticeto, quod uero expedit loquitor. Gaudeto si quando uideris iuste & honeste quidquam agi. Contra, praua si qua designentur, tibi displiceant. Pacis & studiosus & autor esto. Eos qui dissident pro uirili tua in gratiam reducito. Ne sis uindictae cupidus, sed ultionem **D E O** potius relinque. Audiens esto consilijs maiorum, atque omnium qui honestatis nomine commendantur. Libenter & cum summa diligentia uerbum **D E I** audito atque omnino te **CHRISTO** consecra, qui pro te in cruce mortuus est. Quod nisi feceris, iudicio

iudicio seuerissimo condemnaberis. Imprimis uero malorum consortia fuge. Neque illis accommodato aures, quos scurrilia, obscœna aut supersticiosa, quæ uic nequaquam decent, non pudet effutire. Cætera quæ nouisse operæ precium est indubie à Domino edoceberis qui ad uitam te elegit.

Amen.

EMENDANDA.

In prioribus duobus quaternionibus personarum nomina præpostere sunt posita, adeo ut pro P. legendum sit F. & contra pro F. P. quod facile diligens lector obseruabit. Folio 2. lege, bono mihi sint celsura. fol. 4. leg. bonorum omnium pelago. fol. 7. le. omnes suo quisque tempore matrimonium subeant. eodem: le. quominus comode. fol. 8. quia tamen non demolitus. eodem: le. caputue renudetis. eodem: le. officio suo desunt.

ARGENTORATI ANNO
M. D. XXVII MENSE
AVGVSTO.

INDEX

The first part of the book is devoted to a general history of the
 country, from the earliest times to the present day. It is
 divided into three parts, the first of which is a general
 history of the country, the second is a history of the
 principal cities, and the third is a history of the
 principal rivers.

APPENDIX

The second part of the book is devoted to a general history of the
 country, from the earliest times to the present day. It is
 divided into three parts, the first of which is a general
 history of the country, the second is a history of the
 principal cities, and the third is a history of the
 principal rivers.

GENERAL INDEX

The third part of the book is devoted to a general history of the
 country, from the earliest times to the present day. It is
 divided into three parts, the first of which is a general
 history of the country, the second is a history of the
 principal cities, and the third is a history of the
 principal rivers.



